

quem Smaragdus Patricius nolentem Ravennati Episcopo herere, cum tribus Episcopis de Grado violenter abstrahens, eum injuria Ravennam duxit, compellens dictum Severum Ravennati Episcopo in tribus damnationis Capitulis adhærere. Sed iusto iudicio Dei Smaragdus Patricius à Dæmone correptus Constantinopolim remavit. Severus verò expleto anno uno, ad Gradum cum tribus Coëpiscopis rediens, non est receptus à populis. Nec illi voluerunt alii Episcopi communicare, quia errore Ravennati Episcopo communicaverat. Sed convocata Synodo X. Episcoporum in Mariano idem Severus, dato erroris sui libello, e fratribus benignè in Patriarcham receptus est. Ipsi autem qui dictæ Synodo interfuerunt, fuerunt Petrus de Altino, Clarissimus de Sablone, Angelus Tridentinus, Junior Veronensis, Horatius Vicentinus, Laurentius Bellunensis, Rusticus, Tervisinus, Folcherius Feltrensis, Angelus Cenetenis, Maxentius Juliensis, & Hadrianus Polenensis. Hujus etiam tempore sæviente multitudine Longobardorum, & imperante Mauritio Augusto, fames maxima, & mortalitas per univèrsam Italiam, ac clades maxima perpessa fuit.

Post obitum Severi Patriarchæ Johannes Abbas cum consensu Regis, & Agislusi Ducis Foro-Julienensis in Patriarcham in veteri Aquileja ordinatur. In Grado quoque Candiano Caput Schismatis à Romanis instituitur. Candiano defuncto apud Gradum, Epiphanius non sine schismate ordinatur, & ex tunc incipit appellari Patriarcha Gradenfis. Qui Epiphanius erat primus Notariorum Imperialium Romanorum.

Martianus Patriarcha fedit annos VIII.

Fortunatus Patriarcha fedit annos XIII.

Johannes Patriarcha fedit annos X.

Petrus Patriarcha fedit annos X. & nota, quòd à Severo Patriarcha usque ad Callistum, qui sequitur, Patriarchæ propter incurfionem Romanorum non audebant stare in Aquileja, sed habitationem sibi elegerant in Cormono.

Serenus Patriarcha fedit annum unum, de quo nihil reperitur.

Sublato itaque Patriarcha Sereno, successit Callistus Vir egregius, & Ecclesiæ Tarvisinæ Archidiaconus, qui adjuvante Luitprando Longobardorum Rege, regimen Aquilejensis Ecclesiæ suscepit. Hoc verò tempore, in Castro Foro-Juliano, quod nunc Civitas Austriæ appellatur, Peno Dux præerat. Callistus verò Cormoni habitabat de consensu, & voluntate Ducum priorum. Federicus in Castro Foro-Juliano Episcopus instituitur. Ipso decedente Amator subrogatur. Callistus verò, qui erat vir nobilitate conspicuus, videns, quòd in Diocesi sua cum Duce suo, & nobilibus Amator Episcopus habitaret, & ipse Callistus rurali vulgo sociatus vitam duceret, valde sibi displicuit. Et ad prædictam Civitatem veniens, Amatorem de Foro-Julii expulit, & Domum ejus sibi habitationem statuit. Qua de causa inter Callistum Patriarcham, & Penonem Ducem discordia orta est. Quid ultra? Dux Peno contra Patriarcham cum multis Longobardis Nobilibus Consilium inivit, & apprehensum eundem Patriarcham ad Castellum Pufini super mare, ut submergeretur, duxit, quòd tamen Deo prohibente non fecit. Attamen ipsam diebus multis, tribulationibus, pane & aqua in Carcere fovit. Quod Rex Luitprandus audiens, contra Penonem Ducem in iram exarsit, & de Ducatu deposuit. Peno timore Regio in Selavorum Patriam cum suis fugit. Rex verò dicti Penonis filios, & omnes,

A qui Penoni hæserant, longo tempore carceribus cruciavit. Post hæc Patriarcha de carceribus ad Civitatem rediens, ibi Ecclesiam, & Baptistarium S. Johannis, & Palatium Patriarchale construxit, & Regio suffultus favore, Ecclesiam strenuè gubernavit. Postea XL. suæ ordinationis anno exacto in pace quievit. Cujus corpus in prædicta, quam construxit, Ecclesia, quiescit in Domino.

Signoaldus Patriarcha de genere Grimoaldi Regis fedit annos XLII. natione Civitatenfis. Ibi habitavit, & Ecclesiam suam prospere & laudabiliter gubernavit.

B S. Paulinus Patriarcha fedit annos XV., qui finito jam Regno Longobardorum, & in captivitate ducto Desiderio Rege ipforum, unà cum uxore, & filiis, ad gloriosum Carolum Magnum Imperatorem pro iuribus Ecclesiæ ampliandis profectus est. Et Vir iste miræ Sanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit. Et rediens in Civitate Austriæ multis in vitam miraculis claruit, & in morte. Ejus corpus in prædicta Ecclesia Civitatenfis quiescit, & veneratur.

Urfus Patriarcha fedit annos V. Hic primus cœpit proclamationem facere de Grado Insula plebe Synodali jure subiecta Aquilejensi Ecclesiæ. In qua quidam Venerius Patriarchæ nomen irrationabiliter usurpavit.

C Maxentius Patriarcha fedit annos XXVI. Ad ejus preces B. Augustinus Papa, & Ludovicus Imperator ad instantiam Lotharii filii dicti Ludovici universalem Synodum Mantuæ celebraverunt, in qua, eodem Maxentio reclamante, quòd quidam Venerius falsò sibi nomen Patriarchæ in Grado Insula plebis Aquilejensis usurpaverat, & retracta hujusmodi causâ per dictam Synodum, declaratum fuit Gradum esse Plebem Synodali jure Ecclesiæ Aquilejensi subiectam.

Et deposito Venerio supradicto, Andreas Patriarcha fedit annos X. Hic similiter de Grado Plebe Aquilejensi ad Lotharium Imperatorem, proclamavit, qui Lotharius unà cum Papa Leone, vocato Concilio, iterum adjudicavit Gradensem Plebem esse Aquilejensis Ecclesiæ.

D Venantius Patriarcha fedit annos III.

Theotmanus Patriarcha fedit annos XXI. Hic, supradicto Lothario & Domino Ludovico ejus filio regnantibus, Ecclesiam mirabiliter gubernavit, & pro Gradenfi Plebe reclamavit, & à Ludovico obtinuit Papiam.

Lupus Patriarcha fedit annos III. Hic similiter à prædicto Ludovico in protectione susceptus est, & coram dicto Papa, & ipso definitum est Insulam Gradensem esse Aquilejensis Ecclesiæ.

E Walpertus Patriarcha fedit annos XXVII. Hic Carolum Secundum filium Ludovici, & coronatum à Papa Joanne IV. Romam sociavit, & ab ipso multas gratias impetravit.

Federicus Patriarcha fedit annos LIII. Hic mirabiliter auxit, & protexit Ecclesiam. Hujus tempore, imperante Carolo III. Magna Ungarorum gens à Syria egressa, in quandam Provinciam, quæ adjungitur simbriis Ecclesiæ Aquilejensis, primitus venit, & ibi habitare cepit; erat enim gens crudelissima, carnem comedens, & sanguinem bibens pro potu. Quos dictus Federicus Patriarcha repressit, & longius fugavit, reddens pacem Hesperia, quæ est caput Ecclesiæ. Corpus ipsius in Aquileja quiescit, & supra ejus sepulcrum scriptum est tale Epitaphium.